

Dissertatio medica inauguralis, quaedam de rubeola communicatione ejusque artificiosa, complectens; quam, annuente summo numine, ex auctoritate reverendi admodum viri D. Georgii Baird, SS. T.P. ... pro gradu doctoris ... / Guilelmus Forrester Bow.

Contributors

Bow, William Forrester, active 1813-1830.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh : C. Stewart, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qfn93vk9>

Provider

University of Glasgow


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




Glasgow
University Library



Presented
19-1944

Bf-13 - e. 34



THE UNIVERSITY OF

CHICAGO

LIBRARY

RECEIVED

COMMUNICATIONS

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

RUBEOLA

COMMUNICATIONE EJUSQUE ARTIFICIOSA

COMPLECTENS.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b24932528>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

RUBEOLA

COMMUNICATIONE EJUSQUE ARTIFICIOSA,

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI ;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS FORRESTER BOW,

Scotus,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDINEN. SOC.

ET

LEGIONIS SEPTUAGESIMAE SEPTIMAE PEDITUM CHIRURGUS SUBSIDIARIUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCXX.

DISSEMINATIO MEDICA

LIBRARY

RUBEN

COMMUNICATIONS IN THE HISTORY OF

CONSTITUTION

AND THE HISTORY OF THE

ACADEMY OF MEDICINE

AND THE HISTORY OF THE

D. GEORGE BARR, M.D.

ACADEMY OF MEDICINE

LIBRARY

ACADEMY OF MEDICINE

ET HOMINIBUS FACULTATIS MEDICAE

ET HOMINIBUS FACULTATIS

ACADEMIAE MEDICAE

ET HOMINIBUS FACULTATIS

ACADEMIAE MEDICAE

GULIELMUS FORSTER DOK

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

GLASGOW
UNIVERSITY
LIBRARY

ALEXANDRO DOUGLAS,

ARMIGERO,

AD SIGILLUM REGIUM SCRIBAE,

SORORIS MARITO,

QUOD SEQUITUR OPUS

SUMMO ILLIUS VIRTUTUM AMORE

INSCRIBIT

AUCTOR.

JACOBO SANDERS, M. D.

DE MEDICINA THEORETICA PRACTICAQUE

PRAELECTORI,

&c. &c. &c.

GULIELMUS FORRESTER BOW,

SALUTEM.

Tibi amico, Praeceptor peritissimo, hasce pagellas lubens consecro. Praecepta enim tua primum ingenii magis gratiâ miratus sum; quum tamen eorundem veritatem experientia confirmaverit, illa non modo ingenii, sed summae utilitatis causa amplector et laudo. Vale.

PATRI SUO CARISSIMO

ROBERTO BOW,

ARMIGERO,

HOC THEMA

SUMMA CUM PIETATE

AC

VENERANTIA

CONSECRAT

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

RUBEOLA

COMMUNICATIONE EJUSQUE ARTIFICIOSA.

MORBUS quicumque contagio speciali exoriens, eadem semper signa exhibere, unam sibi eandemque formam inducere, iisdem vicibus subjici, eadem ratione finire deberet, si hominum unicuique corporis firmitatem eandem, aut valetudinem, aut temperamentum Natura tribuisset. Medicus porro, quicquid eum docuerit experientia propria de alio aegrotante, id alii similiter laboranti audacter praecipere aut applicare posset: neque minus de morbi eventu facilè, certè, clarè praedicere liceret. Verum constitutiones corporis humani diver-

sissimas invenimus. Diversitates imprimis istae quas Temperamenta vel Diatheses medici vocant, vitae genere, cultura, mire augentur. Quin et vitiis parentum saepenumero plurimos et diversissimos morbos quasi transduci videmus, qui corpore diu latentes, quam celerimè causâ idonea oblata, semet ostendunt, atque forma quidem tam perplexa, tamque fugace, ut ad artem nostram quasi frustrandam nati appareant. Nec aliter res se habet in iis diversitatibus supradictis quibus homines inter sese distinguantur.

Medici igitur erit hisce temperamentis inter se separandis semet assuefacere, qui enim his probe perspectis medicinam exercet, in omni fere morbo et signa rite prognosticare, et momentum temporis remediis exhibendis accommodatum praevidere, et metam non transiliendam notare poterit; itaque nunquam dum alium curare studeat, alium et infestiores morbum inducit.

In Rubeola curanda haec cognitio admodum necessaria est, ubi enim deficit, eventus saepe funestissimi insecuti sunt. Filius quohaerens formosior ullus paulatim tabescens; filiae pulchritudo Hectica marcens, cui ipsa

brevi succumbet; infans prius claudicare quam ambulare coactus, sequelae sunt quotidianae.

Huic rei ut animum attenderem, anno salutis 1812 inductus sum, puerorum quorundam aspectu quorum alii Phthisi, alii ulceribus molestissimis externis, nec pauci diarrhoea perniciose laborabant. Omnes quidem mala miseranda prae se ferebant, et haec omnia ad eandem causam, Rubeolam scilicet, quam menses ante nonnullos perpessi sunt, referebantur. Puerorum nonnulli ex ea legione erant cui tunc temporis munere medico fungebar; plures tamen pauperum erant prope habitantium. Qui legionis erant, apud stationes distantiores aegrotaverunt quâ nec chirurgi legioni eos invisere possent, nec alii adjuvantes quam mulierculae miserae quibus sola ad omnia panacea erat spiritus ardens distillatus, et quidem in morbis inflammationem habentibus.

Sequelae tamen quas citavi pro rata parte affectorum, citoque sanatorum paucae erant, quae res ni fallor, Rubeolam mitem esse morbum demonstrat, nec suoapte genere timendum. Quanti quidem aestimenda est

felicitas validae corporis constitutionis quae hominem ut videmus, contra morbum, ignorantiam, barbariemque unà petentes incolumen praestare valeat!

Rubeola itaque sola metuenda est, prout in aliis malis progignendis, temperamento aegri adjuvante polleat; et quoniam ex temperamentis singula speciem singulis morbis novam tribuat, ante omnia dicendum erit, quae ratione temperamenta quaedam inter se discriminanda sint.

Diathesis quae prima mihi obvenit, fortasse quia maxime optanda, Sanguinea est, seu Inflammatoria. Hocce temperamentum junioribus utriusque sexûs proprium est, vere semet manifestissime ostentans. Talibus color vultus rubeus; ipse hilaris, animatus, pulsus arteriarum frequens fortisque, motus sanguinis facile atque aequaliter a stimulo quolibet accelerandus, actiones sive vitales sive naturales alacres sunt. Crines plerumque atrii: muscoli firmi, forma plerumque elegantior, atque viribus haud injuria juvenis gaudet.

Siquando haec Diathesis nimia est, (sit venia verbo) sanitas nimis bona evadit, quae iterum morbi futuri praenuncia habenda est;

—“ Ergo si plenior aliquis et speciosior, et
“ coloratior factus est, suspecta habere bona
“ sua debet.”

In hac corporis conditione, signa Rubeolae
monitoria brevi ferè tempore absolvuntur,
utcunque violenta. Eruptio aliquando pri-
mum est indicium : alias nimia alacritas hi-
laritasque praeter solitum praecedat, monitum
Celsi jam traditum pulcherrime illustrans.
Sed, hic quidem corporis habitus est Rubeo-
lae faustissimus, in quo nihil est quod medi-
cus timeat. Ad quodvis morbi tempus, ille
dum infractus maneat, signa facile sanguine
misso cohibebit, sed mature sanguine mit-
tendo mala eadem, quae postea multo majore
vi sanguinis perdita vix debellanda erunt,
facile arceat. Primis enim protinus diebus
sanguinis jacturam aliquis fert, eo melius tu-
tiusque exinanitiones patietur aeger.

Diathesis Strumosa seu Scrofulosa, clare
notatur, atque facile distinguitur. Cutis gla-
bram marmoream speciem exhibet, per quam
venae, eleganter purpureae ramosè translu-
cent. Columna Narium, labiumque superius
quasi intumuissent, videntur : oculi crines-
que albidinem imitantur ; quamvis illi qui-

dem nigri aliquando, hi fusciores vel atrii subinde videantur. Prima aetate genae rubricam pulcherrimam prae se ferunt, nec raro labia, lingua, fauces eodem rubore tinguntur. Ab irritationibus, veluti dentitione, infantuli ejusmodi Diarrhoeae atque Lienteriae fiunt obnoxii. Lacte nutricis immutato per alvum descendente. Hepar plurimis jam natis non ut decet semet contrahit; dentes decidui cito carie roduntur, atque glandulae concatenatae intumescunt. Qui rubrica supradicta cuticulae primis annis colorantur, pubescentes Phthisin Tuberculosam saepius patiuntur. Qui contra, totam per vitam pallorem cutis marmoream exhibuerunt, etiamsi nequaquam pueritiam morbosam degerint, media tamen aetate glandes mesentericas auctas, glandes cervicis aliarumque partium tumidas habere consuerunt. Sensuum omnium acumen, hilaritas, mentis mobilitas alacritasque hanc corporis Diathesin comitantur, credula heu! mater pulchritudinem stupet in dies crescentem. Pater ingenium praecox pueri jamjam factis cessabundi miratur. Somnium quam fallax quam gratum. Indumen istud temporarium cito exuetur; praecocitas illa prae-

maturè accelerata cito silebit ; atque infelix talium bonorum compos, saepe priusquam bona esse noverat, e medio tollitur.

Contra naturam hujus diatheseos est, si cum sanguineâ comparatio fiat, eam inflammationem multum aut facile suscipere ; sed si hoc novimus, illud quoque novimus non minus ; quod ea res quae in sanguineis levissima videretur, in scrofulosis potest ab aliis causis formidolosissima evadere.

In diathesi inflammatoria, vasa distensa simulatque vacua facta sunt, collabentur seque contrahent, brevique munera resumunt ; hic contra vasa pallentia naturâ debilia, post distentionem quamvis exinanata vix contrahere tendunt, motus eorum ignavi sunt, humores suos propellere non valent, turgescunt, malis demum innumeris originem praestantia. Docent exempla quotidiana. Si quando febris tales simplex adorta fuerit, remediisque anti-phlogisticis (quae vocant) curata est ; quam pauci ad valetudinem tandem perveniunt ; quin tumor iis aliquis topicus feбри mox supervenerit. Si injuria tantum levis facta est, cum dolore et rubore, tumor non decedere solet. Si frigore inflammatio excitata fuerit

atque eadem curandi ratio adhibita; articulorum tumores, rheumatismumque chronicum subsequi videmus. Quinetiam si ophthalmia inducta fuerit, vetusta ejus forma supervenit, atque lymphæ coagulabilis effunditur.

His rebus docemur, quod cum necessario deplere coacti simus, atque deplendo malum superaverimus, non amplius curationem *antiphlogisticam* urgere debemus; sed remediis lenioribus niti ut robor vigorque vasculis multum desiderantibus concilietur.

Si Rubeola hancce diathesin adorta, ex eodem consilio curetur, etiam sub hac conditione levem aliis comparatum esse morbum inveniemus.

Jam supra dixi morbos específicos contagiosos eandem omnino speciem constanter assumpturos esse, ni corporis peculiaribus conditionibus; nec non aëris conditione tunc temporis existente afficerentur. De Rubeola tamen agentes scriptores, pro supervacaneis ista habuisse plerique videntur. Dr Willan scripsit—"The cough often occurs seven, " ten, fifteen, or twenty days before the dis- " ease formally commences." Haec autem

res diathesi scrofulosae propria est, atque dilucide monstrat, quod etiam contagiem sua natura stimulans pedetentim quasi evolvi oporteat priusquam in corpore unicam commotionem universam excitare possit. Mortonus et Sydenhamus, proclivitatem ad inflammationem, etiam post eruptio evanuerit semper subesse credentes, venaesectionem laudarunt; prior quidem postquam eruptio perfecta sit, posterior postquam decesserit. Signa quidem quae indicant semet in hac diathesi plerumque ostendunt; non autem inflammationem praesentem indicant: inflammationis sequelae sunt. Inflammatio jam vasa pulmonum exhausit, quae vi contrahendi deficiente turgescunt, atque pressio eorum in tubos parvulos bronchiorum spiritui difficili, dolori, anxietati, calorigue inaequabili ortum ita praebent. His autem indiciis nomen falsò inditum inflammationis confusio- nem aegrè extricabilem genuit; cum vocabulo enim inflammatione naturaliter regimen consonum antiphlogisticum consociatur. Sed ipsa sui medela est! atque quam miserè nos deceptos deprehendimus, quando ad injuriam curatione contraria reparandam, omnia re-

media nostra, aut nimis sera, aut invalida reperimus.

Ut inflammatio sit, quatuor res necessariae sunt: dolor, calor, tumor, rubor. Si quaelibet ex his desit, non est inflammatio legitima, neque quasi omnes morbi notae adessent, curanda; atque hoc quidem Rubeolae tempore, et in strumosâ diathesi, non omnes adesse haud absque ratione ducamus. Hujus rei multa extant documenta, quorum unum quam crebro occurrat, proponam. Si vice signorum dictorum, in pulmonibus sese manifestantium, minuti tumores furunculos mentientes, medio corpore membrisve appareant, hi signa inflammationis peculiariora non prae se ferunt. Color lividus est; calor furunculi insignis deest, dolor pruritus sensu copulatur, lente ad suppurationem procedunt, pus mali moris apparet, maligne demum sanescunt, nec unquam curatione antiphlogistica adjuvantur. Verum enim verò illustrissimus olim Professor F. Home incisione factâ, comperit, inflammationem his signis quae dico non originem praebere. Illius neque notas, neque etiam vestigia olim praesentis, detegere po-

tuit; etiamsi, pulmones scalpello divisos, sanguine infarcta, esse videret.*

Dr Willan, uti videtur impetum inflammationis secundarium esse credidit. Quamquam vero sanguinem missionem laudet, non id fecit sine certis conditionibus propositis. —“ Since it has not an effect in alleviating
“ the symptoms equal to that which is experienced from it in pulmonic affections originating from cold; hence we should employ as auxiliaries to bleeding, at the latter
“ period of the disease, blisters and demulcent liquors.” Hic manifestum est, auctorem opium vi sedatrice sua operari velle: quando profectus ejus nihilominus a vi potius stimulante provenisset. Postea enim in tempore eruptionis opium nihil prodesse docet: non somnum conciliare expertus est, sed calorem et inquietudinem inferre, ideoque *raro* praecepit donec exanthema declinaverat. Hoc tempore operationem ejus in corpus eandem esse oportet: sed tunc calor auctus necessarius fuit, vasa turgida ad contrahendum stimulavit, eorum fluida propulit, inquietem

* Vide Clinic. Exper.

non excitavit sed sedavit, somnumque ideo conciliavit. Alii quos dixi auctores (Home excepto) opium quoque exhibuerunt, sed iis quoque consilium fuit ut sedantis ritu ageret: ab initio enim dederunt. Aegri tamen, postquam eruptio declinaverat, continuato ejus usu, conservati sunt; stimulantibus nimirum ejus effectibus tum maxime beneficiis, lethaliq[ue] sanguinis missi operationi obsistentibus. Sic chemicus temperiem 32° F. conservare nivem aquamq[ue] bullientem miscendo, novit; novit autem alias ejusdem rei efficiendae rationes, rationes quidem longe longeque errori minus obnoxiae.

Curatio in hac ab ea in Diathesi inflammatoriâ diversissima esse debet. In evacuatione cautissime agere oportet, plerumque nihil opus est nisi ut alvus modicè laxa conserveatur. Si tamen necessarium sit purgantibus celerioribus uti, stimulus aliquis lenis, dum operantur, adhibeatur. Eruptione factâ parvas doses alicujus ex antimonii praeparatis praecepi oportet. Effectus eorum manifesti fiunt quo tempore eruptio decedit. Antimonii exiguae doses corpus leniter stimulant, motum sanguinis mire temperant, aequabilem

ubique reddendo. Quum a colore mutato, eruptionem decessuram videmus, tum vinum et cinchona parvis sed crebro repetitis modis optimos praestant effectus; atque si prudenter administrata, omne ingratum indicium arcebitur. Usus quoque purgantium incautus in hoc morbi tempore, quem varii scriptores impensè laudant procul dubio culpan-
dus est. Corpore quidem sanguineo raro nocebunt, saepe quidem necessaria fuerint: sed in hac quam nunc tractamus constitutione, gravia incommoda induxisse vidi. A credita ad inflammationem post rubeolam proclivitate orta est haec curandi ratio; sed an etiam in temperie sanguinea, haec proclivitas subsit, vehementer dubito; talem enim proclivitatem potius cum exanthemate decedere putarem, atque in strumosis, difficillime etiam arte quadam exhibitâ inflammationem acutam excitares.

Si quidem post eruptio evanuerit, spiritus difficilis dolor in pectore, tussis, anxietas, aliaque signa occurrerant, sanguinem mittere opus erit: sed parvâ tantum copiâ detrahendus erit, qualis pro tempore vasa onere suo liberet, tempusque ad alia remedia procuret,

quae tunicas eorum relaxatas contrahere cogant. Hunc ad finem, stimuli usurpandi sunt, extrinsecus per frictiones, intrinsecus per vapores aceti, aquaeque inhalatos, liberoque vini usu, pro aetate aegri, aethere si opus sit adjecto. Hic annotarum, quod sub primum aggressum horum signorum, aceto solo haec prohibita atque expugnata viderim.

Hanc partem cum loco sequente ut concludam veniam rogo. Enucleatè enim ostendit beneficia ex quovis auxilio (et quocunque consilio dato) tonum vasorum sustinere, atque ne post inflammationem exturgescunt prohibere, valente. Eadem citatione patebit quod cortex cinchonae hoc solo modo agere, atque signa temerè Peripneumoniam indicare credita arcere potuisset. “ The
“ practice of giving bark in measles was in-
“ troduced by Dr Cameron, an eminent phy-
“ sician at Worcester. He observed that it
“ prevented the retrocession of the morbid
“ acrimony, and continues the efflorescence
“ on the skin, sometimes so long as the
“ twelfth day. By this means the cough and
“ other inflammatory symptoms are, in a
“ great measure, obviated, and the patient is

“ freed from all danger of a peripneumony.
“ Doctor Percival informs us that he has
“ many years since adopted the method of
“ cure recommended by Dr Cameron; and
“ he is fully convinced of its safety and effi-
“ cacy in all ordinary cases. During the late
“ epidemic,* not a single instance occurred
“ to him of the peripneumony succeeding
“ the measles, when the bark had been em-
“ ployed.” †

Diathesis Typhoides raro annis infantilibus occurrit, sed hoc tempore facile inducatur; magis quidem, si ab aëris conditione, jam in corpore ad eandem proclivitas existat. Auctores omnes, praesertim cl. Sydenhamus, proclivitatem febris eruptionum typum seu characterem febris eodem tempore grassantis inducere notaverunt. Exempli gratiâ, si typhus febris sit epidemicus dum Rubeola dominatur, in multis exemplis reperiemus conditionem typhoidem supervenire quo tempore eruptio decessura sit, atque citius si aeger strumosa sit diathesi. Haec aëris conditio, hoc qui-

* 1774.

† Manning's Practice of Med. p. 141.

dem contagium statim in cerebrum agat oportet, nam effectus ejus frequenter instantes apparent. Manè, cum laetitiâ cubantem relinquimus restitutionis rapidae securi: sed quando proximae invisimus, haec signa in alia mutata atque opem nostram postulantia inveniamus, omnes secretiones vitiatae sunt, eruptio nigra vel atra, signa, ni fallor rubeolae nigrae Doctoris Willan.

In epidemico nuper in Hibernia grassante, pauca hujusmodi exempla vidi: non tamen eruptionem adeo atram habentia ut nigra appellari merentur, etiamsi ab aliis id nigredinis aliquando obvenire certior factus sum.

Curatio hic eadem ac in febre typhoide esse debet, memoriâ probe habitâ, quod quoniam corpus sub excitatione fuerit, debilitas eo major esse tendit atque si non cohibeatur, terminatio infausta, etiam celerius quam in typho ipso superveniat.

RUBEOLAE COMMUNICATIO.

Illustrissimus olim hujus academiae Professor F. Home, primus fuit qui Rubeolae insertionum conatus est. Putavit quod si variola comparatè mitior inserendo reddi posset, eadem innoculatio violentiam Rubeolae mitigare valeret, atque signa infausta eam saepe consequentia arceat. Non tantum ei feliciter ceperunt conamina, sed id quod *a priori* suspicatus est, confirmavit, nempe, rubeolam inoculatam morbum multo leniorem esse quam naturalem, i. e. contagio alio genitam. Prior enim non tanto febris quantum posteriorem antecedit, stipatur, neque tussi inquiete, aliisque inflammationis malis comitantibus, neque lippitudine, tussi, febre hectica, pulmonibusque ulceratis subsequi solitis. His tam gravibus argumentis nihil obstantibus, Rubeolae insertio nunquam in usum generalem pervenit. Pauculi quidem, sed minore felicitate rem experti sunt: alii fortasse inutilem nec necessariam putant, atque ego met rarius necessariam fore putarem, si om-

nibus in exemplis diathesis aegri inter curationem considerata esset. Possunt tamen exempla existere, quibus et conveniat et expediat insertionem adhibere; ubi quidem labes scrofulosa valde intensa est, cum signis pulmonum tuberculis vitiatorum, ubi periculum infectionis multiplex est. Tali vero exemplo attentio ad pulmones dirigitur, eos morbum quam minimè vexare volumus, atqui hanc irritationem solummodo evitare possumus, morbum eo modo communicando, quo pulmones non primariè afficiantur. Si contagio sit materia in aëre ambiente suspensa vel soluta, et in respiratione faucibus, tracheae, pulmonibus admota, manifestum est quod irritatio topica sequetur, atque ab ea parte, morbus universo corpori impertietur. In diathesi sanguinea haec communicatio celerior est, in strumosa autem minus. In utroque irritatio primum eadem est natura atque vehementiâ: sed quoniam conditio posterior non adeo facile ad actionem generalem excitatur, irritatio longiùs topica perstat, atque hinc tussis perpetua, molesta per totam tempus preparatorium morbi, infestans. Membrana tracheae bronchiisque obducta, primum inflammatione

affecta, partem quoque inflammationis generalis quae sequitur perferre cogitur, nec mirum si chronico affectui successuro obnoxia videretur. Nunc insertione factâ, illud saltem lucramur: morbum sine irritatione topica in ulla parte memorabili inducimus. Ut in morbo naturali, membranae mucosae fiunt affectae, sed statim, et omnes una, nulla parte graviore quam aliis partibus inflammatione laborante: atque quoniam actiones diffusae singulas partes leviter premant, lenem ideo morbum habemus.

Quando materia variolosa in nares inseritur, morbum admodum violentum habemus: eâdem in brachio inserta, morbus mitior generatur, in clunes aut crura adhuc mitior. Anne haec differentia pendet a puncto insertionis modo propiùs modo longiùs ab organis vitalibus centroque nervoso?

Causa cur inoculatio non usitetur, a methodo fortè poposita, petenda est. Lana Gossypina in sanguine aegri rubeola laborantis demittitur, atque tunc in vulnus brachii inficiendi inseritur. Docet Homius se difficile sanguinem, propter hominum praejudicia, quantum opus esset obtinuisse; atque

quando reputamus quali horrore foeminae et omnes infantes sanguinem contemplari solent, hoc impedimentum etiam per se medicinae laudatae vehementer obstare confitendum erit. Ut illud quidem evitaret ingeniosissimus Doctor Paterson Aërensis novam methodum proposuit, atque in uno experimento, solo, uti credo, quod instituit, perfecit. Laneum quod vulgo circa aegrorum colla in hoc morbo geritur capit, atque eo brachium pueri inficiendi fricat: fricto brachio demum circumvolvitur, denique tibiale pede mutilatum super omnia induatur.


Quoniam operatio non rectè inoculatio dici potest *communicationem* dicere malui. In duobus exemplis mecum bene cessit, atque veniam lectoris spero, si horum historias ut finem hujus tentaminis subnectam.


Primum exemplum puer erat sex jam menses natus. Tertio die post brachium fricatum, exanthema sub laneo apparuit, non tamen extra hanc sedem extensum. Sexto die evanuit, quod experimentum spem fefellisse me suspicari impulit. Sed die octavo puer lac matris crebro evomuit, inquires proximâ nocte, atque die sequente, cutis calore, ocu-

lis humidis, sternutatione evidenter affectus est. Decimo maculas aliquas in facie et pectore conspexi quas rubeola esse facile recognovi. Decimo tertio adhuc visibiles fuerunt, sed nullo quidem tempore valde discolores fuissent. Ab aspectu pueri in die decimo quarto nemo eum Rubeolam subiisse credidisset.

In alio exemplo non eadem mihi fuit oportunitas progressum in primis temporibus morbi vestigandi: officium enim proximo post contagium communicatum die me aliquam distantiam adire coëgit, unde cum non ante diem decimum redirem eruptionem valde manifestam inveni. Proximo deinceps die evanuit, atque morbus nullum ingratum post se vestigium reliquit.

FINIS.





Bf 43 e

26 on shelf

